



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 4. Pontificis Literæ unacum Legato Epistola ad Electorem Saxoniae  
missæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

**Sæcul.XVI**  
**A.C.1524.**

stolici habitu insignis urbem intraret, a circumfusa plebe, quæ ferme omnis Lutheri erroribus infecta erat, injuriis afficeretur : quapropter Campegius communi veste, qua in itinere utebatur, sine Clero, & Cruce processit, comitantibus eum cunctis Principibus usque ad hospitium suum : Clerus autem, qui ei occursum convenerat, in Ecclesia inclusus fuit, ut sic nec videre quidem illum potuerit intrantem. Ceterum Principes, qui ad comitia confluerant, erant Ludovicus Elector Palatinus, Guilielmus, & Ludovicus de Bavaria, Fridericus Comes Palatinus, Casimirus Brandenburgicus, Trevirensis, Bambergensis, Herbipolensis, Tridentinus, & Brixienfis Episcopi, præter Albertum Brandenburgicum & supremum Prussiae Magistrum. In illis Præsidis vices agebat Ferdinandus Archidux, eoquod Cæsar adhuc in Hispania hæreret.

§. IV.

*Pontificis literæ unacum Legati epistola ad Electorem Saxoniam missæ.*

Differebat Legatus aliquamdiu post adventum suum ad Comitata accedere; prius enim utili temporis impendio in privatis colloquiis ac salutationibus

bus congregatorum Principum mentes explorare studebat, præcipue vero illos sibi devincire conabatur, quos Sedi Apostolicæ adhucdum addictos compererat, unde impense illos rogabat, ut in præsentem rerum statum suam ei operam impenderent: Cum vero eo tempore Fridericus Saxonix Elector urbe absens esset, eidem Campegius Papæ literas transmisit; unacum alia epistola, quam die ultima Februarii ad eundem scripsit, in hunc ferme modum: permolestum mihi accidit, quod tuo alloquio frui non possim, cum maximi momenti res, quæ tibi nomine summi Pontificis communicem, haberem: nam in plurimorum ore, ac sermone est, quod novarum hæresum fautor sis, ejusmodi tamen res nec mihi nec summo Pontifici vero similis videtur, quamdiu enim tecum amicitiam, notitiamque habebam, semper in te solidam probitatem ac virtutem admirabar, præcipue in iis, quæ Ecclesiam ac Religionem Catholicam spectant: ideo hac ipsa bona de te opinione præpedior, ne ceterorum rumori aures accommodem, nec unquam a concepto meo iudicio desistam, nisi contrarium ipse experiar. Equidem aliquibus abhinc annis, a quibus novi mores introducti fuere, tota Germaniæ facies commutata est, haud tamen igno-

Sæcul XVI.  
A. C. 1524.

Sleid. comm.  
lib. 4. p. 107.

Sæc. XVI.

A.C. 1524.

ro discrimen, quod inter Nobiles & plebem hac in re intercedit, quocirca spe fretus vivo, quod præcipue tu, cum ceteris illustrior existas, a Majorum tuorum, qui semper inviolabili obsequio Romanæ Ecclesiæ addicti erant, pietate nullo unquam tempore degeneraturus sis; nil quoque ardentius rogat Pontifex, quam ut in hisce rerum angustiis Patrum tuorum exempla secutus magis magisque virtutum merito commendatum te reddas, si vero id negligeres, timendum, ne ejusmodi novitates in Germania excitent tumultus, seditiones, & bella, quæ non minus Principibus cunctisque Imperii statibus, quam Sedi Apostolicæ, Episcopis & Ecclesiæ ruinam, exitiumque afferrent.

## §. V.

*Oratio Campegii Legati in Comitibus Norimbergensibus.*

*Pallavic. in hist. l. 2. c. 10.*  
*Sleid. in com. l. 4. p. 108.*  
*Cochl. de aff. Lut. p. 89. an. 1524.*

Postquam Principes, urbiumque Imperialium Deputati Nuncium Apostolicum ad alloquium publicum invitabant, accessit ipse comitia, sermonem suum fat prolixum his verbis exorsus:  
 „ Miror vehementer, quod tot Principes, ac Deputati tanta prudentia, ac sapientia præditi ficcis oculis conspiciant abrogari religionem, in qua enuntri